

Huntre

Problema
Juris

1767



076

V

E

IO

Handwritten

34

P



0703 6.
PROBLEMA IURIS.

Num Iudaeus post conversionem iure obligatus fit,
coniugi adhuc infideli dare Libellum divortii mo-
re rituque iudaico?

DISQUIRIT

SIMULQUE

VIRO MAGNIFICO, EXCELLENTISSIMO
PRAENOBILISSIMO IURIS CON-
SULTISSIMO,

HERRMANNO TRAVGOTT
RIETSCHIERIO,

Herr
IURIS CONSULTO CELEBERRIMO ET DICASTERII MAR-
CHIONATUS LUSATIAE SUPERIORIS QUOD BUDISSAE
FLORET SUPREMI CANCELLARIO LONGE
MERITISSIMO,


3428 IUBILAEUM GAMICUM

PARITER AC MUNERIS ET HONORIS ADVO-
CATI PROVINCIALIS SUSCEPTI

GRATULATUR

JOANNES GODOFREDUS KUNTZIUS,
ADVOCATUS PROVINCIALIS ORDINARIUS IURATUS.

BUDISSAE IV. Iduum Novembris c1o 1o CC LXVII.


EX OFFICINA WINKLERIANA.





PROBLEMA IURIS.

An Iudaeus post conversionem iure obligatus sit, conjugi adhuc infideli dare libellum divortii, more rituque Iudaico?

§. I.



Cum de Materia quadam juris paucula commentandi mihi se praebet iucundissima occasio, haut a re alienum esse iudicavi, eligere casum quendam singularem, nec saepius obvientem, & pro viribus meis temporisque angustia disquirere: An Iudaeus post conversionem iure obligatus sit coniugi ad huc infideli dare libellum divortii, more rituque iudaico?

§. II.

Num iudaica infidelitas, post conversionem alterutrius coniugum ad fidem christianam, in re Christianorum publica iusta causa sit divortii, dubio plane caret, ac scite & accurate disquisitum est, a D. HOLDERRIEDER in problemate iuris huius argumenti, Lipsi. 1740. edito. Quaeritur: an conversio alterius coniugis ad religionem saniozem, si respexeris ad coniugem iudaicam, quoque iusta causa sit divortii? Non plane de nihilo est quaestio haec, cum par sit iustitia christiano pariter, ac iudaeo administranda, & nulla personarum ratio in dicendo iure sit habenda. Videamus igitur, an rationibus ex matrimonii natura aequae, ac statu iudaeorum desumptis affirmanda sit quaestio?



§. III.

Matrimonium in se & sua natura spectatum, si a iure canonum discesseris, nihil aliud est, quam negotium civile humanum, nec aliter considerari debet, in foro, quam ut contractus, uti docet BOEHMER de iure princip. evangel. circ. divort. c. 2. §. 6. seqq. & quanquam hanc opinionem LEYSER in Medit. ad D. spec. CCXLVII. med. 4. infringere audeat, tamen tota res ad argumenta iuris canonici redit, simulque in fine, non peccare principem aut rempublicam, qui quaeve matrimoniales causas e numero spiritualium eximunt, & ad civiles referunt, ipse contendit.

§. IV.

Pariter constat, contractum quoque posse dissolvi, non solum mutuo consensu, sed etiam perfidia alterutrius paciscentiam abruptam obligationem, & status mutationem talem, quae praestationem praestandorum antea possibilem plane impedit, & finibus pacti contrariam, iustam esse rescindendi pacti causam, assentiente PUFENDORFIO, contendit idem D. HOLDERRIEDER in all. dissert. §. 5. qui, cum praestructa rite applicaverit ad fines matrimonii, procreationem & educationem sobolis, mutuum adiutorium & societatem conjugalem, licet ibi magis ad conjugem iudaicum ad saniora religionis principia reversum respexerit, tamen cum facili negotio, praesertim, si secundum regulas juris naturae res consideratur, ad iudaicum in iudaica superstitione permanentem applicari possunt, merito supersedeo hoc labore peritiori calamo jam elaborato, artisque finibus nostris contrario.

§. V.

Non desunt quoque rationes ex statu Iudaeorum desumptae. Prohibitum enim erat Iudaeis, matrimonium contrahere quoque cum personis, ratione status & conditionis, & quidem respectu status spiritualis prohibita desponsatio Iudaeorum cum non Iudaeo. Ita hanc in rem MAIMONIDES Halach. Mehot c. 4. §. 15. qui desponsat Cuthaeam (feminam gentilem, infidelem) aut ancillam, eius desponsatio nulla est, sed est ipsa, sicuti fuit antea. Sic Cuthaeus & servus desponsantes filiam Israeliticam nihil faciunt, desponsatio eorum nulla est. Fundant se circa hanc prohibitionem in Lege Deut. cap. 7. vers. 3. & Exod. c. 34. vers. 16. quam R. KIMCHI ad 1 Reg. Cap. XI. vers. I. ita extendit: Nam etiamsi hoc dicat

cat



cat Moses duntaxat de septem gentibus Cananaeis, idem tamen est iudicium de caeteris gentibus, de his vero in specie prohibuit eis, quod tunc ingrederentur in terram illarum.

§. VI.

Objiciet mihi fortasse quispiam, probare quidem modo deducta prohibitionem desponsationis Iudaei cum extraneo; sed ideo nondum probari matrimonium iam consummatum sive ante conversionem, cum uterque coniux adhuc Iudaei fuerint, contractum propterea dissolvi oportere. At ne hoc quidem intactum reliquere legum iudaicarum Doctores & interpretes, qui teste BUXTORFFIO in Dissert. de spons. & Divort. P. I. §. 93. unanimi contendunt consensu; si quis fiat Apostata, haereticus, infidelis, ejus uxorem solenni repudii libello ab ipso separari debere, neque facultatem habere ipsam alii nubendi, nisi libellum repudii iuxta ritum iudaeorum scriptum, a marito acceperit, cum non existiment, mutationem hanc fidei aut apostosiam perinde ac mortem, ita dissolvere vinculum matrimonii, ut nullo opus sit libello divortii. Refert BUXTORFIUS all. loc. inter hos ABARBENLEM in Commentar. in Deuteron. fol. 383. col. 2. R. ISAAC. ARAMAM in Akedath Jizchak fol. 252. col. 3. Operae pretium esse iudicamus verba posterioris Rabbini, uti allegat illa modo laudatus BUXTORFIUS in latina metaphrasi, cum multum faciant ad scopum nostrum, hac adjicere. Audiatur igitur ipse. Narravit, inquit, mihi sapiens quidam, se rogatum fuisse ab erudito quodam Christiano, qui videbat Iudaeos libellum divortii requirentes a Iudaeo Apostata renuente Iudaicam uxorem suam dimittere; ad quid hoc ab ipso peteret? Posteaquam enim religionem suam deseruit, illum iure ab ipsis haberi posse pro mortuo, ac si plane non amplius esset, & uxorem absolute habendam pro vidua; Respondit sapiens ille: Mutationem hanc non esse substantialem, sed accidentalem, hoc est mutationem nominis, vel habitationis seu Domicilii, quae non possit mutare substantiam Iudaei. Dixi ei: Responsio haec verissima quidem est, secundum nostram legem, & convenit cum eo, quod sapientes nostri dicunt: Et si quis peccet, tamen est & manet Israelita; non tamen sufficiens fuit, ad persuadendum illi sapienti Christiano, qui excipere potuit, nullam rem esse magis substantialem, quam fidem &



religionem, nec similem quidditatem, quidditati fidei: Itaque posteaquam ab hac deflexit, non esse amplius Israelitam, nedum Iudaeum vocandum, ac propterea mutarum esse mutatione substantiali ex vivo in mortuum, aut ex mortuo in vivum, iuxta id, quod sapientes dicunt: Gentilis, qui fit profelytus est instar infantis modo geniti. Mihi itaque videtur, ita respondendum esse, ut illi rem hanc recte capiant. In conjunctione mulieris cum viro, tria occurrunt: Primum est in ipsis, ut animantibus irrationabilibus, carnalis videlicet commixtio ad generandum; secundum est proprium speciei humanae in genere, sc. appropriatio mulieris alicujus certae uni soli viro, & ejus prohibitio omnibus aliis, ne femina commisceantur, in hoc enim omnes recta ratione praediti homines conveniunt; Tertium est modus peculiaris, & ab aliis differens quo appropriatio ista confirmatur. Hic modus ipsis contingit respectu fidei & religionis, cui sunt additi. Sic iuxta legem Mosis fit haec confirmatio, vel pecunia vel coitu vel literis; secundum religionem Christianorum datione manuum vel simili aliqua cerimonia; Et sic unaquaeque natio suos peculiare habet ritus. Iam dico: Vir iste, qui mutavit religionem suam; non sustulit hoc factum vim appropriationis, quam mulier apud ipsum habet, quae ei iuncta est, quatenus sunt homines, non quatenus Iudaei; ideoque licet mutatus sit in fide, tamen ad huc est in coniugio suo, ac proinde obligata est mulier, dimissionem ab eo petere. Requiritur autem, ut id libello fiat, scripto secundum ritum Iudaeorum, quia ipsa Iudaea est, neque expelli potest, nisi libello legitimo, secundum religionem suam. Haecenus ille. Ex hoc prono alveo fluit, uxori Iudaeae conversionem mariti ad aliam religionem, justam esse legibus Iudaicis causam divortii.

§. VII.

Sed annon supervacaneum erit, differuisse, an & quatenus iuribus Iudaicis conversio mariti ad aliam religionem iusta sit causa divortii, cum mulieri Iudaicae non competat ius divortii, & nusquam in lege mosaica, unde hauriuntur, quasi ex fonte traditiones leges & iura Iudaeorum, attribuaturs eiusmodi ius atque potestas, sed soli viro permitatur, uxori, si non gratiam inve-



invenit in oculis ejus, dare libellum repudii, per textum expressum Deuteron. C. 24. v. 1. seqq. & ab exemplo mulierum iudaicarum, SALOME, HERODIAS, & BERENICE, quas diversas esse a maritis, eorumque iura usurpassè, legimus, cum contra Statuta Iudaeorum, ut infatias ire haut possunt, BASNAGE Tom. VI. histoire des Juifs, L. 6. c. 23. §. 15. CALIXT. de Conjug. & Divort. §. 22. SELDEN. de Uxor. hebr. L. 3. c. 19. factum fuerit, non iusta valeat consequentia.

§. VIII.

Salva iam res est. Quamvis enim mulieribus non permittum fuerit dare libellum repudii; licitum tamen fuit, exigere praestationem libelli divortii jure suo perfecto, nec ex adductis sacri codicis exemplis sequitur, mulieri ex justis causis a marito libellum divortii petere non licuisse. Paria enim sunt, & apud Iudaeos conjugum iura, praesertim nostris temporibus. Postquam enim illi inter Christianos dispersi, iisque polygamia interdicta fuerit, absoluta, mariti iudaei in uxorem suam potestas ad modum restricta & ius uxoris adaugetum est, ita, ut iure suo libelli talis exhibitionem a marito exigere possit.

§. IX.

Nec de sunt probationes & exempla huius licentiae uxoris iudaicae, tantum recentioribus quam antiquis temporibus. Iudaeorum rituum peritissimus BASNAGE dans l'histoire des Juifs, Tom. VI. L. 6, cap. 23. §. 20. testatur de recentiori observantia his verbis: Un mari jaloux defend d'abord à sa femme de voir celui, qui lui fait ombrage. Si elle continue, & que les indices soient evidens, les rabbins lui ordonnent de l'abandonner, quand même il ne le voudroit pas. Patres quoque ipsi, quos fugere non potuerunt iudaeorum ritus, de hac observantia nulli dubitarunt, uti liquet ex HIERONYMO ad cap. 19. Matth. qui ibi ita argumentatur; ubicunque est fornicatio aut fornicationis suspicio libere uxor dimittitur. Nec non quia potest evenire, ut iuxta eandem legem uxor quoque marito dare repudium, eadem cautela praecipitur. Et LIGHTFOOTIUS in hor. ebraic. ad Epist. Paul. 1 Cor. VII. versu 10. ex verbis Rabbini MAIMONIDIS: Uxor quae refugit concubitu mariti,



riti, vocatur rebellis, & quaerunt ab ea, quare ea adeo rebellis, si respondeat: ego eum sperno, & non possum concubitum eius peti, cogunt eum, illam dimittere pro tempore. satis eleganter contendit, quod etiam uxor rebellis & perversa cogere maritum potuerit, ut eam dimitteret. Quid, quod jam Christi temporibus licentiam hanc uxorum extitisse, ut a viris exigere libellum divortii potuerint ex sacris litteris haut inepte colligi possit. Sic Marc. 10. v. 12. pronunciat CHRISTUS: Und so sich ein Weib scheidet von ihren Manne, und freyhet einen andern, die bricht ihre Ehe. Et PAULUS ad Corinth. 1. cap. VII. vers. 10. dicit: Denen Ehelichen, aber gebiethe nicht ich, sondern der Herr, das das Weib sich nicht scheidet von dem Manne, so sie sich aber scheidet, das sie ohne Ehe bleibe oder sich mit dem Manne verfoehne. Uterque profecto, non prohibuisset hoc, nisi de viridi observantia ejus temporis constitutum fuisset.

§. X.

Nec obstat locus cardinalis ille pro divortii licentia, allegari solitus, & quod ibi de viro saltem uxorem dimittente sermo sit. Textus enim ille, si linguam originalem respicias, non tam de forma, aut licentia divortii, quam praesupponere ibi jam videtur Moses, quam de casu: an maritus uxorem per divortii libellum jam dimissam denuo in uxorem ducere possit. Ex quo fundamento D. MICHAELIS in Bibl. hebr. ab illo edita in not. marg. ad loc. Deut. XXIV. vers. 1. seqq. ita sentit: Si non invenerit gratiam ita ut scribat ei libellum repudii, &c. illa etiam exierit &c. postea vero eam oderit etiam alter maritus &c. Omnia haec ad antecedens spectant, consequens vero est v. 4. tum non poterit prior maritus eam reducere. Moses enim, tum hoc praeceptum scripsit ob duritiam Israelitarum, Marc. X. v. 5. Neque illo praecepit ut Pharisei aiebant, Matth. XIX. 7. Sed permisit tantum, ut docet CHRISTUS Matth. XIX. 8. & agnoscunt Pharisei Marc. X. v. 4.

§. XI.

Ast si maritus illum divortii libellum ab uxore iustis ex causis desideratum exhibere noluerit, nonne prior vi adigi potest, ad exhibendum? Consequi-

sequitur iam ex prioribus affirmativa huius quaestionis sententia. Cum enim uxor per superius deducta divortii libellum iustis ex causis possit exigere iure suo, ius hoc effectum quoque dare oportet. Ius hoc mulieris praesupponit obligationem mariti, divortii libellum exhibendi; obligatione autem posita, necesse est poni actionem, qua compellitur obligatus ad praestationem eius, quod ultro praestare noluerit. Confirmant hoc quoque Rabbini, uti constat ex verbis Maimonidis supra §. VI. allegatis.

§. XII.

Nec obstat requiri ad libellum repudii expresse, ut maritus ultro & ex animi sui sententia uxorem dimittat & repudii libellum scribat. Sicuti enim secundum Principia philosophiae de moribus non omnis actio coacta dici possit invita, seu quae non ex voluntate agentis promanet, ita etiam in civilibus illa actio pro voluntaria atque spontanea censetur, quae fit per coactionem eius, cui ius ad id cogendi competit. Assentit mihi saepius allegatus SELDENUS L. III. C. XXV. sub initio, ibi: Ita, inquit, satis spontaneum habebatur repudium, quoniam ea satis spontanea censebantur, quorum in assensum quis ita sententia forensi, poenisque adactus esset, modo ad ea etiam ex lege obligaretur; idem allegat c. l. ex MAIMONIDE, qui cogi etiam maritum posse verberibus, usque dum palam haec verba divortii dimitteret: PLACET MIHI, SEU EGO VOLO IPSE contendit, rationem sequentibus: ratio, quare eiusmodi libellus ex vi non vitietur, haec est, quia non censetur vis esse, nisi quis cogatur urgeaturque, rem aliquam facere, ad quam ex lege minime obligatur.

§. XIII.

Hisce rite subductis, liquet omnino, tam iustitia causae divortii, in conversione Iudaei ad religionem christianam, respectu uxoris in iudaica remanentis superstitione, positae, quam facultas & licentia uxoris iudaeae a marito exigendi libellum repudii; sed paullo magis ardua est quaestio: qua ratione fieri debeat ista separatio, & an iure uxor iudaica maritum, CHRISTI nomen professum, ad exhibendum divortii libellum cogi possit? Delibavit hanc quaestionem, quem in prioribus allegavi, D. HOLDERRIEDER, & negativae suffragatur sententiae. Mihi vero arridet, magis affirmativa, quanquam

B

illi



illi in hoc assensum praebeam: quaestionis huius decisionem, merito esse a summo legislatore expectandam. Priusquam verorem ipsam aggrediar praemitere adhuc libet, animum, ut ex themate patet, mihi esse, affirmativam magis ex argumentis iuris, quam theologiae defendere sententiam.

§. XIV.

Primum quidem & haut parvi ponderis argumentum mihi praebet ipsa iustitiae essentia, quae in eo ponitur, ut ius suum cuique tribuatur, & qualitas iustitiae, ut vocare solent Doctores, commutativae, in qua observatur proportio arithmetica seu simplex rerum aequalitas. Ut quisque enim minime negabit, in causa quaestionis versari in diiudicando contractu, (supra eniui fuit iam demonstratum, matrimonium habere naturam contractus §. III.) eiusque dissolutione; ita etiam certissimum erit, adhibendam esse iustitiam, quam vulgo vocant, commutativam, adeoque nullum esse habendum nec personae nec religionis respectum. Ius autem ad effectum deducatur necesse est, si iustitiae fructus administrationis percipi debeat.

§. XV.

Monstravi autem iam in superioribus (§. VI. & IX. funct. §. XXV.) mulieri in iudaica superstitione remanenti nullum, nisi post exhibitionem libelli repudii a marito ad Christianos transgresso factam, nuptiarum secundarum esse locum, quam sententiam confirmat & hodierno usui convenientem praedicat SCHUDT in Jüdischen Merckwürdigkeiten, P. 2. L. 6. Cap. 24. §. 14. & P. 4. L. 6. Cap. 24. §. 7. Cui bono ergo uxori Israeliticae publicare sententiam divortii legibus civilibus applicatam, cum nunquam per illam id consequi potest, quod nasci cupit, & cum nemo Iudaeorum in matrimonium ducet mulierem a viro nondum per libellum divortii more Iudaico dimissam. Nonne hoc idem erit, ac si iustitia ipsi denegata fuisset.

§. XVI.

Nec desunt argumenta ex tolerantia Iudaeorum, eorumque concessis privilegiis desumpta, quae ab aliis iam illata, tacitus brevitatis studio praetereo. Id unice adjicere lubet. Consequitur ex hac tolerantia Iudaeorum, ut relinquenda illis sint integra, eorum quamvis abnormia religionis principia,



cipia, festivitatis & caerimoniae, nisi fiat christianae religioni detrimento, test. REINKING de reg. fec. & eccl. L. 2. Cl. 2. c. 3. n. 11. BOEHMER Ius eccl. protest. T. 4. L. 5. tit. 6. §. 47. & 48. c. 9. X. de Iudaeis. Et quod Iudaei adhuc hodie, permessa Principum territorii, circa eorum matrimonia, circumcisiones & divortia, suos, lege mosaica eorumque traditionibus fultos, ritus atque caerimoniae observent, refert BECK in Tract. de Iur. Iudaeor. c. 7. §. 1. & 27.

§. XVII.

Placet multo magis argumenta contrario sentiendum disquirere. Sunt haec prorsus omnia a qualitate & praerogativis Christianae religionis mutuata. Sed cum Confessio religionis Christianae revera haut mutet statum honorum & pactorum, nec minuat obligationes in Iudaismo iamiam susceptas; plane destruere non possunt quaestionis affirmativam. Ratiocinemur, quid in similibus fieri soleat. Fingas, Iudaeam commississe delictum, commissio converti ad religionem Christianam, postea in lucem proferri delictum. Num tu putes, obligationem eius ex proprio delicto natam evanescere per confessionem nominis CHRISTI? Certe non putabis, nisi errare velis errorem pontificiorum, qui effectum conversionis spiritualem, quem tribuant sacrae litterae, ad forum civile trahunt, formulis quibusdam in conciliorum decretis scriptisque patrum usitatissimis sulti, quos nec TIRAQUELL sequitur d. poen. temper vel remitt. C. 25. n. 2. Eadem vero erit obligationis ratio, sive ex licito facto Iudaei conversi, sive ex illicito, oriatur. Dices fortasse: Conversus Iudaeus adimplere debet obligationem susceptam, sed more Christianorum, non ritu Iudaico; & tunc res omnis iterum eoredit, ut conversus obligationi ita satisfacere debeat, ut effectum sortiatur. Nullum vero effectum habet uxor iudaica de adimplerione obligationis Christiani, nisi dimissa est a viro more iudaico per libellum divortii, uti ostensum fuit §. VI. & IX. iunct. §. XXV.

§. XVIII.

Nec elevat argumentum in contrarium: quod Iudaei in conficiendo divortii libello utantur solennitatibus, nec iure divino nec humano comprobatis, superstitionemque pariter, ac stulta rabbinorum inventa redolentibus. Facilis erit responsio. Liquet ex superioribus, ipsum ius divortii, tam iure divino, quod Iudaeis erat Ius Mosaicum, quam Iure humano, cuius in



locum Iudaëis veniunt scripta rabbinorum, LL. suarum Doctorum & Interpretum, fuisse concessum & comprobatum perinde, ac Ius divortii Christianorum. Est igitur tantummodo discrimen inter Solemnia in utrisque foris diversimode usitata. Quod ad illa; Processus ille divortii solennia Christianorum continens, non magis, quam Libellus divortii, qui solennia divortii Iudaeorum facit, lege divina comprobatus est. Et quid est Iudaeorum, Talmud Rabbinorumque scripta aliud, quam ius eorum humanum, & interpretatio legum ac rituum, quos observare solent Iudaei, uti testatur alleg. SCHUDT Lib. VI. C. 27. §. 12. seqq. Ideo plane non erit dicendum, certe respectu Iudaeorum, solennia libelli divortii prorsus destitui approbatione Iuris humani, cum pro tali agnoscunt Talmud & Rabbinorum scripta, quanquam facillimo largiar negotio, Christianum seu conversum Iudaeum pro tali non agnoscere, nec agnoscere debere. Mihi quidem sufficere videtur, rem ipsam sive ius divortii non prohiberi, nec iure Christianorum; formalia vero tanquam adadiaphora referenda, non laedere possunt, conscientiam Iudaei conversi, nec illi tam curae cordique esse debere, praesertim, si formalia aut solennia ista non directe contrariantur articulis fidei, quam nunc profitetur, religionis Christianae.

§. XIX.

Ast hoc est, de quo accusantur solennia ista libelli divortii Iudaeorum, quae redolere superstitionem iudaicam praedicantur. Videamus, quae sunt ista solennia, ut iudicari possit de eorum superstitione. Copiosius refert solennia illa divortii BODENSCHATZ in der kirchlichen Verfassung der heutigen deutschen Iuden. P. IV. Cap. IV. sect. III. §. 6. seqq. qui tam solennia ante scriptionem Libelli, quam in scribendo libello, & denique in traditione libelli refert. Quod ad solennia ante scriptionem libelli attinet, requirunt. 1) Requisitionem Rabbinum, scribae & duorum testium, qui omnes & quidem cum marito repudiante ne in quarto quidem cognationis gradu, posteriores vero cum Rabbinum, quantum fieri potest, nulla cognatione, ad evitandam omnem partium studii suspitionem, esse debent coniuncti, testiumque simul ad testimonium ferendum habilitatem. 2) ut adhortetur rabbinus testes de poenitentia seria peccatorum, quae eos ad testimonium ferendum redderent inhabiles; & ut testes reddere germanice possint libellum; ut haut fugiat scribas & testes doctrina divortii libelli; & ad minimum certe sciant, esse revera praesentes, maritum & uxorem huius mariti. 3) ut quaerat Rabbi-

Rabbinus, scribam: an res, quas ipse attulerat, scriptoriae suae essent ac propriae? & ut afferens marito donet eas, posterior vero accipiat, acceptas in manibus in signum proprietatis tollat. 4) ut quaerat Rabbinus maritum: an ultro absque coactione libellum dare velit divortii uxori? nec non: num votum fecisset, quod illum dare libellum cogeret? negans vero maritus 5) porrigat scribae res scriptorias dicens: Du N. N. schreibe den Abschieds Brief, in Nahmen meiner N. N. mit diesen Brief abzuschneiden meine Frau, N. N. Ich gieb dir Erlaubniß zu schreiben einen Abschieds Brief, nicht einen allein, sondern auch 100. bisf nehmlich einer von diesen wird recht feyn, und zwar also, daß man keinen Zweifel darcin setzen darff, nehmlich nach der Lehre des Rabbiners N. N. und dererjenigen, denen es der Rabbiner auch zeigen wird; parique fere modo 6) alloquatur Testes & veniatu det eis subscriptibendi; nec non, 7) priusquam coeperit scribere scriba, debet Moser Umodoe, germanice: zerstören und zernichten omne id, quod impedire aut invalidum reddere potest libellum divortii, cuius formulam videtis loc. cit. n. 9. in not. hoc denique peracto 8) scriba antequam coeperit scribere, inquit: Siehe, ich schreibe diesen Scheid-Brief in feinen und in ihren Nahmen, und in Nahmen der von Manne vertriebenen.

§. XX.

Nihil hic video superstitionem redolens, omnia potius spectant partim ad requisitionem scribae & testium, ad eorum habilitatem, ad renunciationem exceptionum, quae opponi possent libello tali divortii, & ad summum, continent quasdam cautelas superfluas, quarum in nostratum formalibus certe non minor erit copia.

§. XXI.

Quod ad solennia in scribendo libello attinet, libellus divortii 1) scriptus esse debet duodecim lineis, amplior in longitudinem quam latitudinem, spatioque, in inferiori parte quatuor digitorum, in superiori unius lato, in utroque vero latere, semidigitali relicto, lineis aequaliter appositis. 2) Chartula ita praeparata, repetit scriba eadem, quae allegavimus §. praeced. sub num. 5. verba 3) In scriptura quaevis littera aequaliter scripta, nulla con-



tracta, nec superior inferiori commixta, nullum latus nec excedens, nec ingrediens, nulla in libello scripturae mutatio aut correctio esse debet. 4) In subscriptione testium, quidam testis, antequam scribat, inquit: Ich unterschreibe diesen Scheid Brief in seinen und in ihren Nahmen, und in Nahmen der von Manne vertriebenen, & tunc subscribit quisvis testium nomen suum una cum verbo: Ed. i. e. Testis. Nec in his omnibus reperio quid superstitionem redolens, sed exactitudinem quandam nec in nostrorum. Notariorum litteris negligendam. Numerus quoque duodecim linearum nihil habet, quantum mihi videtur, superflitiosi. Sed in recordationem duodecim stirpium Israel praeceptus esse videtur. Et quaeso, quot nos habemus, tam in notariorum, quam aliarum Expeditionum solennibus supervacanea, quorum exempla, mihi iusto copiosior esse nollem, facillimo adducere possem negotio.

§. XXX.

Nunc ad traditionem libelli, & eius solennia. Ibi 1) praelectio libelli verbatenus tractumque ad observandos errores facienda; 2) monstrari debet duobus assessoribus Rabbini, qui, si ad regulas directum iudicarunt libellum, 3) maritus res scriptorias a Scriba sibi dono datas, reddit scribae, convocatur deinde 4) decem, si tanti numeri copia habere possit, personae, iterat praelectionem Rabbini stando in praesentia omnium, quaerens deinde tam scribam: an sit ille, quem iussu mariti, coram duobus testibus peracto, & expressis verbis: lischmoh ulischmah ulschem geruschin: in seinem und in ihren Nahmen, und in Nahmen der Vertriebenen scripserit, libellus divortii? quam, his ab eo affirmatis, testes & quidem quempiam separatim: an iustum mariti scribae datum, nec non verba: lischmo &c. a scriba prolata audiverit; manum, quae scripserit libellum, noscat; & se in praesentia alterius testis subscripserit; nec non ante subscriptionem verba usitata superius allegata protulerit? Hoc denique examine peracto 5) tradit Rabbini marito libellum, quaerens eum: an ultro & spontanea tradere velit uxori libellum, obsecrat simul eum contestaturque, maritum nihil fecisse, quod reddere invalidum possit libellum divortii. Quod quidem si affirmaverit maritus, quaerit praesentes reliquos Rabbini: an addit quispiam, qui opponere libello quid, aut invalidum eum reddere possit? Nullus si adest, provocat Rabbini: Hoeret ihr alle, die ihr tüchtig seyd zu Zeugen, und hier

hier beywohnet, daß der Mann N. N. dieser Frauen N. N. den Abschied giebt. Tunc 6) mulierem, detecto, quem habuit super faciem poplo, detractoque de manu annulo, idem quaerit, an libellum acceptare velit ultro; & an non iuraverit aut votum susceperit, quod cogat illam acceptare libellum? Prius affirmanti, posterius neganti dicit: Wisse, daß du durch diesen Geth vertrieben wirst von deinen Manire, poscitque ab illo simul Ksubah, Tabulas matrimoniales, (quae, si discesseris ab earum absoluta necessitate apud Iudaeos, conveniunt plane pactis dotalibus inter nostrates) ac iubet tollere manus, iunctas in palmis, apertas circa digitos, simul provocans testes, ut videant tradi uxori a marito Libellum divortii. Tandem 7) Maritus sumit in manu libellum tenetque in alto, ita ut manus superne maneat, libellus scorsum, solutus manu, pendat super manus uxoris, reloquens Rabbinum ita syllabatim dietantem: siehe daß ist dein Scheid Brief, diesen deinen Scheid Brief habe ich selbst vor mich genommen, damit dir dadurch würcklich vertrieben werden sollst von nun an, und ins künftige, zu einem jeden Mann. Dictis his, libellum in manus uxoris habi finit, quae tunc iussu Rabbini claudit manus antea apertas, tollit libellum in signum factae possessionis, ut solent Iudaei, in altum, quo facto Rabbinus Libellum iterum praelegit repetitque quaestiones antea memoratas erga scribam & testes; execratione devincit eos, qui libellum invalidum reddere audent, forfice secat crucem in libellum, quam sectionem vocant Iudaei *kera bes din*: einen gerichtlichen Schnitt: retinet libellum & interdicat mulieri ne nubat cuidam, nisi diebus nonaginta duobus effluxis.

§. XXIII.

Haec fere sunt caerimoniae a Iudaeis in traditione libelli divortii observandae; sapinnt quidem haec magis exactitudinem, ut ita dicam, exactissimam & nimiam plane circumspeditionem, sed nihil in eis reperire postum superstitiosi. Sectio enim in formam crucis magis loco sigilli iudicialis, quam superstitio esse videtur. Allegat quidem adhuc SCHUDT in Iudischen Merkwürdigkeiten P. IV. Lib. 6. Cap. 24. §. 7. necessarium esse, ut scribatur libellus loco, ubi duo flumina diversis nominibus nota existant, sed cum nec BODENSCHATZ nec BUXTORFIUS nec SELDENUS eiusdem mentionem



tionem faciunt, dubitare mihi in mentem merito venit, necessario id requiri, cum prior praesertim in colligendis his caerimoniis ad modum assiduus fuerit & exactus, quid, quod causa, quam profert laudatus SCHUDT, neque quadrare, neque superstitiosi quid involvere mihi videatur.

§. XXIV.

Videntur quidem ipsa verba libelli divortii, quorum formas videtis apud BECK all. tract. c. 7. §. 27. Selden. ux. ebr. L. 3. c. 24. BODENSCHATZ P. 4. c. 4. Sect. 3. §. 8. BUXDORF. Synagog. Iud. c. 29. quae posterior ita refert: Ich habe mir vorgenommen freywillig und ungezwungen zu verlassen und von mir zustoßen dich mein Weib, indigitare quandam violentam, nec Pauli doctrinae, nec iuri canonum convenientem eiectionem, adeoque tanquam contrarium religioni christianae sine scelere fieri posse nullo pacto a Christiano; cum tamen coniux infidelis iure suo divortium petere possit, exhibitio talis libelli effato divi Pauli eo minus potest esse contraria, quo magis coniux fidelis secundum idem Ius & effatum tandiu tantum, quamdiu pars infidelis ab illo discedere non cupit, continuare matrimonium tenetur, nullo modo autem huic divortium illiusque probationem desideranti denegare debet.

§. XXV.

Nec continent illa verba finalia libelli: Nach dem Gesetz Moses und Israel, ut putant quidam, professionem errorum iudaicorum obstrictionemque ad LL. Iudaeorum caerimoniales & forenses. Libellus enim ille divortii nullo modo pertinet ad articulos fidei iudaicae, nec actio quaedam religionis, sed tantum iudiciaria est, tenditque ad nihil aliud, quam ut probet, uxorem vere a viro esse dimissam, in finem alterius matrimonii contrahendi; id quod contrahere uxori est prohibitum, nisi a coniuge converso, licet hic ad alias iam transferit nuptias, libellum divortii accepit, test. BECK. alleg. Tract. c. 7. §. 29. R. MAIMON. Hillchad Geruschim in princ. CLERICO ad Devt. c. 24. v. 1. IOSEPHO antiquit. iudaic. L. 15. c. 17. Illumque vero libellum necessario confectum esse debere secun-

secundum ritus iudaicos docet Tract. Mischnicus de divort. per tot. ibique allegg. Maimon. & R. OBADIAS DE BARTENORA. SURENHUS animadvers. ad Tabul. de libell. repud. T. 3. Mischn. p. 325. seqq. Nec aliud consistetur hoc libello Iudaeus, quam, quod coniugium LL. mosaicis antea contractum, nunc iisdem LL. per libellum divortii dissolvatur; nec incongruum hoc, cum nihil tam naturale sit, quam eodem genere quodvis dissolvere, quo colligatum est.

§. XXVI.

Ex eadem fere ratione prorsus evanescit omnis dubiae conscientiae species, cum in iis tantum rebus locum habeat conscientiae libertas, quae articulos fidei religionisque concernunt, nullus vero in actibus civilibus & iudicialiis relinquatur locus praetextui conscientiae dubiae, quia, hoc concessio, tantum abest, ut ullae LL. ac dispositiones implerentur, ut potius plane tollerentur.

§. XXVII.

Quare me non movet alterum, quod in medium profert D. HOLLERIEDER, argumentum, in contrariam abire sententiam. Ignorare se Christianos, ejici posse coniugem dato repudii libello, imo prohiberi tali modo ejicere coniugem, adeoque indulgendum non esse, ut adigatur conversus ad liberandum coniugem infidelem a vinculo matrimonii, modo christianae fidei & moribus contrario. Quamvis enim lubenter prius concedam, tamen exinde minime consequitur, Iudaeum conversum matrimonium in Iudaismo contractum prohiberi dissolvere more iudaico, quid, quod per superius deducta ad id iure obligatus sit, quia alias uxor eius iudaica nullum plane sentiret dissolutionis matrimonii effectum. Moribus autem licet contrarium sit christianis divortium more iudaico celebratum, non obstat conscientiae neoconversi, modo non contrarietur fidei christianae, id, quod nullo modo probari potest per modo deducta §. §. antecess.

C

§. XXVIII.



§. XXVIII.

Quid, quod Christiani nec totam legem Mosis & Israel reprobent, nec illam legis istius partem, quam se non vincire, recte putant, adeo abnormem censeant, ut, quamlibet vel a magistratu praeceptam, aut connivendo permissam, nec officiis prohi Christiani noxiam eius observationem, fecleri sibi ducere possint. Nec censei quidem id potest LL. iudaicarum observatio, si Christiani in negotiis cum Iudaeis, illas hunc in finem sequantur, ut Iudaei nec violare debeant leges suas, nec in eo, quod omni iure ipsis competit, impediatur; & sane eodem modo Christianus libellum divortii exhibere poterit, quo Iudaeo victum praebebit, LL. suis conformem, sub fide huius rei datae his verbis: allhier hast du die Speise, die koseher ist, nach den Gesetz Mosis und Israel. Nonne potius talis recusatio libelli, uxori secundum Legem Mosis & Israel ad ulterius matrimonium admodum necessaria, defectum amoris proximi omnem, ultionemque accessionis ad christianam religionem denegatae, adeoque vim conscientiae uxori iudaicae factam, nec nostrae religionis principiis approbandam, indigitarer? D. BAUMGARTEN theologische Gutachten 1. Sammlung. 9. und 10. Stück.

§. XXIX.

Objicit Idem porro: Iudaeos iudices faceremus, eo permissa, qui tamen subiecti sunt christiano magistratui alius in causis, adeoque certo respectu in causis matrimonialibus adstringantur legibus territoriorum. Haut etenim facimus Iudaeos iudices, sed ipsa iustitia, ut demonstravi in prioribus, fert iudicium, ut aequalis sit iustitia tribuenda Iudaeis cum Christianis in diiudicandis contractibus eorumque rescissione, & quamvis subiectio iudaeorum legibus territoriorum admodum fundata sit, tamen semper ita id intelligendum est, ut Iudaei sortiantur iustitiae administratae effectum, qui plane cessat in casu quaestionis in muliere iudaica absque libello divortii.

§. XXX.

Et ex eadem ratione evanescit prorsus argumentum: sufficere in hoc casu latam de dissolvendo matrimonio sententiam, cum absque libello divortii uxori



uxori Iudaicae idem fit, ac si nulla lata esset sententia divortii. Ut quisque enim magistratus christianus maxime curare debet Neo conversi conscientiam animi, ita etiam impedire debet quam diligentissime, quo minus laedatur conscientia infidelis.

§. XXXI.

Me quidem denique non fugit contendere quosdam & inter hos REINKING, de Regim. secular & ecclesiast. L. II. Class. II. Cap. III. §. 7. Iudaeos, cum Christiano litem habentes, esse indicandos secundum rigorem non acquitatem; sed e diametro hoc contrarium est iustitiae commutativae, & huic asserto multoties contradicitur a DD. ut plane non indigeat refutatione. Quod enim uni iustum est, alteri quoque iustum esse debet, nec disparitas iurium ex odio & contemptu religionis metienda est.

§. XXXII.

Consentit denique cum affirmativa quaestionis usus fori hodiernus, & non solum D. SPENERUS in theologischen Bedenken Tom. IV. c. 7. art. 6. sect. 7. p. 734. IDEMQUE in praefatione ad libellum a converso iudaeo sub tit. der erleuchtete Mayer edito p. 28. SCHUDT in Jüdischen Merckwürdigkeiten P. II. L. VI. c. 24. §. 14. IDEMQUE in Continuatione der Jüdischen Merckwürdigkeiten Tom. IV. L. VI. c. 24. §. 8. talia exempla libellorum divortii, a maritis ad christianos conversis, etiam vi carceris adactis, uxoribus adhuc iudaicis datorum referunt. Recentiori adhuc tempore circa finem anni cō 10 CC LII. VENERANDUS THEOLOGORUM ORDO HALLENSIS in Consilio, quod extat in D. BAUMGARTENS Theologischen Gutachten 1. Sammlung in 9ten und 10ten Stücke, nec non INCLYTA FACULTAS IURIDICA quae floret ibidem, in Responso, quod insertum videas in denen Haellischen wöchentlichen Anzeigen de ao. cō 10 CC LIII. n. 42. 43. & 44. ad consultationem in simili casu exaratis, assensere non solum dissolvendo inter coniugem iudaeam eiusque maritum CHRISTI nomen professum, ma-



trimonio, sed quoque libello divortii, a neoconverso secundum Iudaeorum ritus, attamen coram Iudicio, aut illis, quibus procurationem commiserit, uxori iudaicae exhibendo.

§. XXXIII.

Nuperrime quoque mihi ipsi in praxi obvenit exemplum, cum iudaeus quidam Dessaviensis, discessus ab uxore obtentu mercaturae in alienis terris exercendae a. o. c. 1767. habitans in Polonia, & ibi superstitionem iudaicam, cum ritu pontificio; Poloniam vero deinde cum Wittichenavia oppidulo Lusatae superioris pontificiae religioni addicto, & iurisdictioni conventus Mariaestellensis subiecto commutatus, ibique matrimonio iunctus, cum alia pontificiis sacris addicta persona, uxori iudaicae bigamiam mariti simultaneam comperienti, ideoque dandum repudii libellum desideranti, tandem exhibere illum recusaret, quam diu sibi de eo non satisfactum fuerit, quod multo iure suum esse contendebat; Iudaea vero cum summum provinciae huius imploraret iudicium, illud postulatis antea inferioris iudicis, causam iudaei conversi disquirentis, relationibus, auditaque etiam uxore iudaica, rescriptis cum remissione actorum Conventui Mariaestellensi: den getauften Juden L. seines Einwendens ungeachtet zu Ertheilung eines Scheide-Briefes anzuhalten, und mit seinen an die Iüdin gemachten Civil Ansprüchen an deren ordentliche Obrigkeit zu verweisen. Quod etiam factum & ad preces actricis neo-converso praeceptum: dasß er sich bey 20. Thalern Straffe für den Iüdischen Rabbiner in Dresden stellen, und seinen ehemahligen Eheweibe Ienthen einen Scheide-Brief nach Iüdischer Art ausantworten solle. Haec fere sunt, quae ad defendendam atque illustrandam thesin iuris afferre putavi; tamen mihi iniucundum non erit, si quis rectius sentiens, meliorem mihi commonstret viam.

- - si quid novisti rectius istis,

Candidus imperti, si non, his utere mecum.

Sed

Sed haec sunt quoque simul, **VIR MAGNIFICE,**
EXCELLENTISSIME, IURIS CONSUL-
TISSIME, FAUTOR AC PATRONE
SUMME DEVENERANDE, quae offerre
TIBI tam laeta tamque rarius obveniente occasione pietatis & devinctissimi animi officium audet. Ex quo enim licuit mihi esse tam felici, ut coniungerer cum **TUA** Vetere & Amplissima **GENTE** matrimonio, nulla mihi se praebuit tam iucunda publice demonstrandi gratissimum erga **TE** animum occasio, quam haec. Contigit enim **TIBI** quod nescio an multis, non solum hoc anno celebrasse diem, ex quo, dimidia parte seculi elapsa, munus atque dignitatem advocati provincialis prid. Non. Oct. cl. b. CC XVII. adeptus es, sed etiam cum **CONIUGE** **LECTISSIMA** Iubilaeum solennium nuptiarum abhinc quinquaginta annis, quarto iduum Novembris cl. b. CC XVII. contractarum agere. Quid mirum, me votis admisceri congratulantium? Gratulor igitur **VOBIS,** non quia moris est, sed ex animi sententia, de redeuntibus his nuptiarum solennibus vice iam quinquagesima & inpri-



inprimis **TIBI** de laboribus tantis gloriosis pariter ac molestis exantlatis. Servet **VOS DEUS OPTUMUS MAXUMUS** porro sospites atque incolumes, suffulciat robur senectute paulatim languescens, praesertim **TUAS VIR MAGNIFICE** adaugeat vires, ut, qui iam per Viginti quinque & quod excurrit annos summo provinciae dicasterio labores initio in functione **Proto-notariū** dicasti, & per viginti iam iam annos **CANCELLARII** munere fungeris, & huius muneris Iubilaeum Tibi adhuc felix & faustum redeat, cumulet **TE, TUAMQUE CONIUGEM** omnis felicitatis genere & si quid adhuc mihi optandum foret, opto, ut me, meosque patrocinio ac benevolentiae habeatis commendatissimos. Dabam Budissae Quarto Idium Novembris **cb** **Io CC LXVII.**



r ac
MUS
lciat
AS
qui
amo
to-
N-
eris
ulet
ere
ne,
en-
m-



Fr. 3428

12/11/93

W





Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

Farbkarte #13

B.I.G.

Inches
Centimetres
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
8

6
PROBLEMA IURIS.
Num Iudaeus post conversionem iure obligatus fit,
coniugi adhuc infideli dare Libellum divortii mo-
re rituque iudaico?

DISQUIRIT

SIMULQUE
RO MAGNIFICO, EXCELLENTISSIMO
PRAENOBILISSIMO JURIS CON-
SULTISSIMO,
ERRMANNO TRAVGOTT
RIETSCHIERIO,

IS CONSULTO CELEBERRIMO ET DICASTERII MAR-
CHIONATUS LUSATIAE SUPERIORIS QUOD BUDISSAE
FLORET SUPREMI CANCELLARIO LONGE
MERITISSIMO,

8
IUBILAEUM GAMICUM
RITER AC MUNERIS ET HONORIS ADVO-
CATI PROVINCIALIS SUSCEPTI
GRATULATUR

JOANNES GODOFREDUS KUNTZIUS,
ADVOCATUS PROVINCIALIS ORDINARIUS IURATUS.

BUDISSAE IV. Iduum Novembris cto Io CC LXVII.

EX OFFICINA WINKLERIANA.